

das idoneus hypothecæ vinculo subiciatur, aut si velint restituatur dicta medieta.

Et facta præmissorum relatione SS. P. N. Gregorio XVI. in Audientia habita eadem die supradictam resolutionem S. C. comprobavit, ac propterea enunciatum census contractum sanavit, et revalidavit perinde ac si ab initio absque enunciato numeratæ pecuniæ defectu initus fuerit.

(2. Capitulum Neptunense non mediocres expensas et subiverat, et subire adhuc metuebatur ob quasdam lites, quæ inter ipsum vertebantur, et Excellentissim. Principem Burghesium, qui jus pascendi in bonis capitularibus propugnabat. Bona Capitularia aestimabantur pretio scut. 24755. 15. et redditus inde proveniens nullis oneribus expurgatus pretio scut. septingentorum et octingentorum circiter.

Ut igitur graviora damna vitarentur, vel amica compositione sopirentur, Capitulum Excellentissimo Principi proposuit, ut vel bona capitularia in emphyteusim caperet pro annuo reddito scut. 1000. vel titulo census possideret, ita tamen ut Princeps pecuniam numeratam non traderet, sed pensionem annuam scut. 1000. solveret, quæ uti fructus sortis et census ipsius reputanda esset: non posset tamen census redimere, nisi cum Capitulum fundos nactum esset, unde pecuniam reddendam tuto collocaret.

Cum laudatus Princeps census sibi elegisset, Capitulum ad S. C. Ep. et Reg. detulit, et exposulavit, ut necessarias facultates ad hoc impertiret, simulque Principem a conditione numeratæ solvendæ pecuniæ liberaret.

E. Ordinarius de more rogatus animadvertibat 1. pensionem a Principe exsolvendam multo majorem esse naturali bonorum capitularium proventu, hanc vero omnibus oneribus et curis administrationis liberam. 2. Hac ratione finem imponi litibus, quæ tam ex omnium litium natura, quam ex peculiaribus harum, de quibus agebantur circumstantiis, exitum dubium et periculosum præseferabant.

At vero e contra surrexerunt Municipales Neptunenses, demonstrantes populo Neptunensi maxime interesse, ne hujusmodi tractatus concluderetur. Cum enim territorium Neptuni ex maxima parte Principis proprietatem constitueret, si bona capitularia addita fuissent, nihil aut parum superesset, quo popularis industria exerceretur. Quinimo subiciebant, hunc contractum maximo fore damno ac periculo ipsis Capituli Canonicis. Nam primo ex conditione Principi oblata, bona in census concedenda pro qualibet mensura, vulgo *Rubbio*, fructum darent scut. 2. 87. At vero antea eadem bona in emphyteusim concessa fructum scut. 5. progignere consueverant. Quod si hisce temporibus redditum fortasse minorem reddidissent, hoc incommodum improvidæ incuriosæque administrationi imputabant. Deinde vero nonne periculosum admodum foret, omne capituli patrimonium in unius privatæ familiæ fortuna collocare? cum præsertim conditio

census non redimendi nisi ad Capituli commodum, facile per dispensationem deleri valeat?

Itaque proposita causa in generali conventu diei 30 Aug. 1844. ad Dubium. « Se e come convenga approvare il contratto di vendita e Censo proposto dal Capitolo di Nettuno; non che implorare da sua Santità le opportune deroghe per quei patti del medesimo, che si opporrebbero alla prescrizione della Bolla Piana? »

E. PP. rescripserunt *Negative in omnibus.*

(3. Hieronymus Piervigili anno 1818. a Bevania Capitulo titulo census scutata 139. 10. accepit, pro annuo fructu scut. decem in singula centena persolvendo. Anno 1834. facti pœnitens penes S. C. Episcoporum et Regularium institit, ut hujus fructus summa reduceretur, pecuniaque ultra justitiæ limites persoluta sibi redderetur.

Exponebat enim, quod quamvis scutatorum decem fructus in plateis nundinariis eo tempore, habita circumstantiarum ratione fortasse toleraretur; attamen enormissimus reputandus erat in regionibus, ubi agricolæ degebant; præsertim si ageretur de censibus, qui ob eorum perpetuitatem ad Cambiorum trutinam dimetiendi non sunt.

Favebat Oratori Archiepiscopus, et opinabatur hunc fructum ad scutata sex esse reducendum. Aiebat enim adversari Constit. 139. Ben. XIV. nec ullatenus respondere proventui naturali soli Bevariensis, quod scut. quatuor fructum vix progignere solet.

Nihilominus S. C. re mature expensa, in hære voto visa est E. Ponentis, qui contraria sententia tenebatur: Hic enim ex auctoritate Rotæ in Romana seu Florentina Fructuum Censuum 2. Jan. 1815. in jure statuebat in dimetienda fructus censuarii æquitate rationem habendam non esse paritatis rationis cum contractu Cambii, nec naturali fructui, quem solum Bevariense parit, quæ objecta diluit allata Rotæ sententia, sed potius attendendam esse consuetudinem, quam viri probi, et, ut vocant, *timorati*, sequerentur. In facto vero animadvertibat circa annum 1815. propter bellicas excursiones, pestilentias, et annonæ charitatem fructum a probis bonisque hominibus usitatum de octo scutatis ad decem protendi debuisset. Et quamvis horum contractuum æquitas non a tempore subsequenti, sed ab initio contractu despici debeat, tamen Capitulum nedum obstabat, sed et proponebat fructum de decem ad octo coerceri.

Igitur causa proposita fuit in plenario conventu diei 13 Feb. 1845. cum sequentibus dubiorum formulis:

1. « Se si debba accordare il ribasso al Piervigili, et in quale misura? »

3. « Se gli competa l'indennizzo richiesto, ed in quale quantità? »

E. Patres rescripserunt. *Ad 1. Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem:* « La mente è, che si procuri di conciliare la controversia economicamente, insinuando al Piervigili di esser contento dell'offerta di diminuzione de' frutti dal 10. all'8. per cento; e quanto

al passato di ricevere quell'indennizzo, che Monsignor Arcivescovo giudicherà di proporre. »

Ad 2. provisum in primo. Spoletina: Super annuis fructibus Censu.

(4. Ex instrumento diei 17 Augusti 1733. Societas Jesu, apostolicis facultatibus instructa, census imposuit scutatorum 2500. super aliquibus bonis ad Congregationem Olivetanorum S. Spiritus Panormi pertinentibus, servatis conditionibus a Piana Constitutione præscriptis. Patres Olivetani depactum fructum persolverunt memoratæ Societati, donec ea stetit; ipsaque abolita, Cameræ Spoliorum usque ad annum 1782.

Ex hoc tempore fructuum solutio interrupta est: non autem ejus memoria. Nam in quibusdam publicis actis tum anni 1796, tum 1818, ac 1823, iidem Olivetani hujusce census mentionem, data occasione, facere non omiserunt.

Societas Jesu vix restituta est, hujusce crediti solutionem ab Olivetanis petere non retardavit. Sed cum conatus amicabile in irritum cecissent, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium suam petitionem exhibuit.

Multas Olivetani exceptiones opponebant, quas inter ea, quæ majus pondus obtineret, plurimorum annorum erat præscriptio. Hæc autem vim etiam mutuabatur ex legibus Neapolitanæ ditionis, quæ trigenerium ad reales, ac personales actiones præscribendas satis esse constituunt.

Sed præterquam quod ad ipsarum legum civilium tramitem aliquid contra præscriptionem replicari posset, obstabat in casu Cap. 20 de Præscr., quod præscriptionem omnem absque bona fide condemnat ac reprobat, cum præscribentem in nulla temporis parte conscientiam rei alienæ habere oporteat. Id autem eo magis in casu attendendum erat, quandoquidem agebatur de partibus, quæ ambæ personis religiosis constabant.

Itaque in plenario Conventu diei 23 Sept. 1836, duo dubia Eminentissimis Patribus exhibita sunt.

1. « Se il Censo imposto nel 1733, della Congregazione Olivetana a favore della Compagnia di Gesù fu vero e legittimo, e tuttora vigente in favore della Compagnia? »

2. *Et quatenus affirmative:* « Se la Compagnia di Gesù ha diritto di esigere i frutti arretrati e correnti? »

Emin. Patres rescripserunt ad Primum *Affirmative. Ad 2. Affirmative.* Panormitana seu Romana: Census inter Societatem Jesu et Monachos Olivetanos.

CLAUSURA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Clausura PP. Conventualium Ferentini comprehendere declaratur hortum, quem vocant frigidum, intra septa Cœnobii existentem, non obstante consuetudine super illius libertate servata: Ferentina Visit. Sacr. Liminum 5 Aprilis 1794, confir. die 20 Febr. 1796.

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Commissario Grifonello faciente relationem de qualitate censuum a PP. Min. Observ. de Petritulo possessorum, et Rev. Fabr. per eum applicatorum, et instante declarari quorum sint incapaces, Sac. Congregatio declaravit eos esse incapaces infrascriptorum. Primo Censuum eis vel eorum ecclesiæ directe legatorum cum onere perpetuo Missarum. Secundo censuum hæreditarie, vel universalis substitutionis titulo relictorum. Tertio eorum quoque censuum, qui pecunia a fratribus habita, fuerint in eorum favorem creati etiam sine expressione vel obligatione satisfaciendi ex fructibus alicui oneri. Quarto etiam censuum relictorum ab iis qui altaria in eorum ecclesia construxerunt, et Fratribus dictis census reliquerunt cum onere Missarum perpetuas in eisdem altaribus celebrandi. Capaces autem modo licito, et per modum eleemosynæ eosdem fratres declaravit primorum censuum, qui pro oleo lampadis in eorum ecclesia ardentis eisdem fuerint relicti, et commissarius curet in eandem causam converti

(2. In alia Congr. particulari 23 Junii 1662. Patres Cappuccini Terræ Chiaravallis Calabriae ulterioris, quibus Marcellus testator mandaverat ab ejus hæredibus in perpetuum tradi eleemosynam scut. 6, quotannis die 8 Oct. stante eorum incapacitate et indigentia, supplicabant ipsis concedi per modum eleemosynæ. S. C. censuit PP. Cappuccinos posse recipere a sponte dantibus, non autem petere legatum.

(3. In Congr. generali 27 Sept. 1673, fol. 449, sequens facti species proposita fuit. Cum quidam Religiosus Minoris Observantiæ assereret facultatem a Summo Pontifice obtinuisse, ut ex stipe collocata in suis Concionibus dotem nepti suæ conficeret, ut in Monasterio vitam asceticam profiteri posset, ac proinde ex hujusmodi pecuniis census quosdam coemerat. Hos autem census Commissarius Rev. Fab. applicare intendebat eidem R. F., non modo quia de apostolica concessione Religiosus ille non nisi per attestationem cujusdam Tabellionis docuerat, sed præterea quia licet ex venia summi Pontificis concessum dici posset eleemosynas hujusmodi in eum usum erogare; tamen acquisitio censuum, qui inter bona stabilia jure recensentur, nimium repugnasse statui religiosæ paupertatis videbatur. Merito igitur S. C. rescripsit: *Applicet.*

(2. Antequam S. Congregatio aliquid decerneret quoad evacuationem cubiculorum, ut provideatur pro regulari clausura in Cœnobio S. Romani Lucanæ Civitatis, prorogavit judicium; interim vero voluit, ut Archiepiscopo juxta mentem scriberetur. In Lucana die 26 Februarii 1823, ad 1 et 2 Dub

(1. Usque a sæculo XVII, quædam piæ Mulieres profitentes tertium S. Dominici ordinem in Civitate Mutinensi sese in unum collegerant, ut juventutem instituerent. Non multis abhinc annis, favorem præbente Serenissimo Mutinæ Duce, a Sancta Sede petierunt, ut sub eadem, quam semper sectatæ fuerant, Augustini Regula ad vota solemniam admitterentur. Ad hanc itaque rem constitutiones exhibuerunt, et Summus Pontifex specialem Congregationem delegavit, quæ dubio: « Se le Costituzioni, di cui si tratta, meritino di essere approvate dalla S. Sede? » Rescripsit: *Affirmative*, et ad mentem.

Quæ mens antequam exponatur, sciendum est, quodam constitutionum loco ita sancitum fuisse: « La Clausura pertanto si osserverà nei termini espressi dal Sacro Concilio di Trento, sì per le Monache, che per i Secolari; cioè non potassi per nulla derogare a queste prescrizioni senza una assoluta licenza del Prelato, o di chi venisse dal medesimo destinato a ciò, nel qual caso esser dovrebbe il Confessore, a cui spetterà di accordare le licenze d' introdurre gli operari, ed altre persone necessarie per qualche servizio, di cui abbisogni il Monastero. » Igitur S. C. respondit « E la mente è, che si approvano le nude e sole costituzioni colle seguenti correzioni: Essa pertanto, cioè la Clausura, si osserverà nei termini del S. Concilio di Trento e delle Costituzioni Apostoliche. Le licenze d' introdurre gli operari, ed altre persone per qualche servizio, di cui realmente abbisogni il Monastero, spetterà al Vescovo. »

Deleri itidem jussum est: « l' eseguire alcune recite, e rappresentanze sceniche: »

At hujusmodi limitationes non arriserunt Sanctimonialibus, quippe quæ verebantur, ne Cives a puellis in educationem tradendis deterrerentur. Hinc suspensa Brevis executione, Episcopus earum nomine expostulavit:

« 1. L'ingresso de' Genitori, o di chi ne fa le veci, in caso grave malattia di una educanda. »

« 2. L'ingresso di alcuni Sacerdoti, e di altre poche persone in occasione di recite, o di altre funzioni (puta scholastica experimenta, ac præmiorum distributiones). »

« 3. L'ingresso delle fanciulle nella scuola esterna per un anno, benchè abbiano cessato d' intervenire alla Scuola. »

« 4. L'ingresso dei Genitori delle Fanciulle nelle scuole esterne, o di chi ne fa le veci, nelle scuole medesime almeno una volta nel corso del tempo in cui vi sono ammesse le fanciulle. »

« 5. L'ingresso nel monastero di due donne di servizio addette alle scuole esterne. »

Ad hæc accedebat facultas, qua Canonico Camuri, Instituti fundatori, ad vitam liceret varias ejusdem domos visitare, ad eum nempe finem, ut in domibus tam erectis, quam eri-

gendis illud sanctitatis studium confirmare posset, quod jam infundere potuerat.

Itaque in Congregatione generali diei 18. Decembris 1840, quæ sequuntur dubia resolvenda fuerunt Emin. PP. exhibita.

« Se, e quale dichiarazione convenga fare sulle Costituzioni delle Monache Domenicane di Modena in materia di Clausura? »

Et quatenus negative.

« Se, e come accordare agli Operari de' Monasteri delle suddette Monache, tanto erette, che da erigersi di poter derogare alla stretta clausura in quei casi, che essi nella loro coscienza riconosceranno necessari, o assolutamente vantaggiosi in conformità di quanto portava l' uso pratico delle Costituzioni, di cui si richiese la Pontificia sanzione? *Et quatenus negative.* »

« 3. Se, e come accordare la facultà per i cinque casi di sopra espressi? »

« 4. Se, e come annuire alle preci di Monsignor Vescovo per l' ingresso nella Clausura del Canonico Camuri Fondatore di questo Istituto. »

Ad primum dubium quod attinet; ad normam juris communis, non licet Ordinario ingressum in Clausuram papalem exteris impertiri « nisi in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino: » ut ait Benedictus XIV, in Const. *Salutare*, et dixerant alii Pontifices.

Quoad secundum: « Con difficoltà (ita in Folio typis edito in hac causa p. 8. § Se piacerà) la S. Congregazione accorda la facultà specialmente in fatto di Clausura in perpetuo, ed in generale; ma a tempo determinato, e ad istanza particolare sia pel rispettivo Ordinario: »

Ad Tertium in quo Episcopi postulatu comprehenduntur circa *primum Roder.* In collect. privil. F. 4, art. 11, citat. quamdam resolutionem S. C. Ep. et Reg. qua declaratur consanguineis non posse Episcopum ingressum concedere in casu gravis infirmitatis, qua premittitur Monialis, etiamsi adsit mortis periculum. Nihilominus nuperrime Sanctimonialibus Salesianis Patavii impertitum fuerat hoc rescriptum: « De speciali gratia arbitrio Episcopi ad triennium pro facultate permittendi, prævio consensu Monialium, ingressum dumtaxat Matribus Educandarum in casu veræ infirmitatis illarum. Episcopus autem hac facultate caute et sobrie utatur, super quo ejus conscientia onerata remaneat. »

Difficilius vero hujusmodi licentia masculis conceditur, vel ipsi parentes sint, vel tutores. Illud autem in casu considerandum erat, quod forte hujus licentiæ denegatio puellarum instituendarum numerum tenuaret; dum cæteroque in casu mortis proximæ ex Resolutione S. C. a Tamburini de Jur. Abb. disp. 1, qu. 2, n. 1, relata, Notario, ac septem testibus pro ultimo elogio conficiendo, ingressus non est denegandus.

Secundum majorem involvit difficultatem, quandoquidem nulla adest necessitatis lex.

Tertium vero, ac quartum nihil impedi-

menti offerebat, nam agebatur de scholis externis, et æqua aderat causa.

Quintum discussione aliqua dignum erat; nam S. C. non solet Monialium famulis ingressum concedere, nisi cum obligatione clausuræ observandæ. Præterea Benedictus XIV. in Constitution. *Post binas* declarat: « admissionem, receptionemque quarumque foeminarum sive puellarum educandarum, sive famularum in monasteria quacunque ex causa, sine legitima, authenticaque ejusdem Apostolicæ Sedis licentia, toties quoties opus fuerit impetranda, fieri non debere: » Sed observabatur quod Sanctimonialia, de quibus loquimur, antea, licet votis simplicibus obstrictas, minus rigidæ clausuræ subjacissent. Si insuper Educandatus in loco a Monasterio secreto situs esset, et via recta eodem, aliquam indulgentiam posse adhiberi:

Jamvero Eminentissimi Patres, prout sequitur rescripserunt: « Ad 1 et 2, providebitur in tertio: Ad 3, ad primum *affirmative*; ad secundum *negative*; ad tertium et quartum *affirmative*; ad quintum arbitrio Episcopi juxta constitutiones Apostolicas, nempe ut admitti possint in Monasterium ad instar famularum, cum permissione accedendi ad scholas externas, quin ulterius egredi valeant durante eorum munere, dummodo tamen sint cœlibes, et nullum detrimentum status œconomicus patiatur. Ad 5, arbitrio Ordinariorum bis, vel ter in anno. »

Et facta de præmissis relatione ad Sanctissimum D. N. Gregorium XVI, in audientia habita die 31 Dec. 1840, resolutionem S. C. approbavit, ita tamen, ut hujusmodi indultum ad quinquennium dumtaxat duraret, et Ordinarius hisce facultatibus sobrie et caute utatur, et quando agitur de ingressu in Monasterium monialium, consensus Capitulariter ac per secreta suffragia præstandus accedat.

(2. Salesianæ Patavii Sanctimonialia, cum a S. Sede obtinuissent, ut solemnium votorum professionem emittere valerent, Papalis Clausuræ obligatione ad formam Constitutionum Apostolicarum obstrictæ remanserunt. Inde vero factum est ut nedum Patres, ac Tutores, sed nec et matres in Monasterium inferre pedem possent, quo suas Filias, vel Pupillas educationi traditas invisere valerent. Itaque periculum erat maximum, ne, vel patres uxoris orbat, aut pupillare tribunal mobiles puellas iisdem sanctimonialibus summo cum earum, et publico detrimento, committerent.

Ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium confugium habuerunt, et primo obtinuerunt indultum pro solis matribus in casu gravis infirmitatis, quod superius in Mutinensi exscriptum est. Quod cum earum votis non integre responderet, ad S. C. iterum supplicem libellum exhibuerunt. Hinc post dubia quinque Causæ Mutinensis jam super exscripta, sextum quoque dubium additum est: « Se, e come annuire alle preci delle monache Salesiane di Padova per l' ingresso dei Padri, o in mancanza de' Padri, o de' Tutori per le orfane di Padre e madre

nella Clausura in caso d' infermità delle rispettive Educande? »

Affirmative ut in Mutinen.

Salesianarum rescriptam hoc tenore expeditum est: « Arbitrio Episcopi pro facultate permittendi prævio consensu monialium Capitulariter, et per secreta suffragia, ingressum personis, de quibus in precibus juxta petita, in casu gravis infirmitatis educandarum, ita ut recto tramite, comitantibus duabus senioribus. »

(3. Extabat in civitate Ravennatensi monialium a S. Carmelo Calceatarum cœnobium, quæ regulam amplexæ erant Ordinis B. Genitricis Dei et Virginis Mariæ data ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, quam moderati sunt, et declaraverunt summi Pontifices Innocentius IV. Eugenius IV. Pius II. et Sixtus IV. Cum vero simplicia forent vota, quæ a monialibus illis emittebantur, cumque in illa Civitate nullæ aliæ sanctimonialia adessent votis solemnibus adstrictæ (si Capucinas excipias) quæ papalem clausuram observarent, Emin. Archiepiscopus ad S. Congr. preces exhibuit, ut in memorato cœnobio votorum solemnium professio, et observantia clausuræ papalis institueretur.

Ipsæ testabatur quod in illo monasterio: « la vita e perfettamente comune, la regolare osservanza e in pieno vigore, la clausura rigorosamente osservata, in una parola le monache sono animate dal vero spirito religioso claustrale, e la loro condotta è del tutto edificante. »

Aliquot ante annos earum nonnullæ in optatis sese habere significaverunt, ut solemnium professio fieret triplicium votorum, itemque regula aliquanto rigidior efficeretur. Emin. Archiepiscopus in sacra visitatione hanc rem per se singulatim a sanctimonialibus cognoscere studuit, cunctoque Capitulo duodecim choristarum, ac decem Conversarum, secretis suffragiis nullam huic immutationi adversam esse deprehendit.

At vero advertendum est, sanctimonialia, quæ a voto ferendo abstinerunt, peculiare hujus agendi rationis causas habuisse; una enim ad monasterium rigidioris observantiæ aspirabat, quod tamen nondum repererat; alia vero abstinit *per pura delicatezza di coscienza*: prædictæ mutationi tamen sese non obstatæ declarabat. Conversa tandem in eo quo erat statu, sese mori velle (quippe longæva erat) protestabatur.

Hisce ad factum pertinentibus præmonitis, observandum est Carmelitanas Ravennatenses, quæ Regulam jam approbatam amplexæ fuerant, non indiguissæ apostolica approbatione, quam requisivit Conc. Lateranense IV. Cap. *Te nimia*, et Conc. Lugdunense C. *Religionem*. Nequibant autem solemnia vota pronunciare ex sola Archiepiscopi approbatione: Ad hoc enim necessaria est prævia examinatio Congregationis negotiis Episcoporum et Regularium præpositæ, ut ait Innocentius X. in Const. *Instaurandæ*.

Preces autem Archiepiscopi consentaneæ videbantur Constitutioni S. Pii V. *Circa Pastoralis*, ubi statuitur, ut sanctimonialia, quæ

in communi vivunt, et solemnia vota pronunciant, et clausuræ pontificiæ subiciantur. Hac in re juvat ipsis verbis referre, quod in folio legebatur, quippe praxim S. C. quæ modo viget, perbelle declarans: « Ma non ostante tale disposizione di S. Pio V. sono stati tolerati i monasteri di voti semplici e senza clausura, e specialmente dopo le ultime vicende la S. Sede ha approvati vari Istituti di voti semplici, anzi per alcuni luoghi, attese le particolari circostanze, ha dichiarato, che i voti delle monache non possono essere solenni, finchè la S. Sede non disporrà diversamente. »

Proposito igitur dubio in plenario auditorio diei 6. Dec. 1839. « Se si abbia a supplicare sua Santità acciocchè voglia degnarsi accordare l'opportuno permesso alle monache Carmelitane di Ravenna di emettere i voti solenni, ed autorizzare l'Emo Arcivescovo a prescrivere la clausura papale? »

Emin. Patres rescripserunt: « *Affirmative* in omnibus, ita tamen ut recipiantur vota a monialibus existentibus jam professis, quæ sponte ea emittere velint; et in futurum recipiantur solemnia ab omnibus Novitiis. Emin. vero Archiepiscopus publicare faciat hoc rescriptum in monasterio. »

(4 R. P. D. Episcopus Policastrensis fundavit, dotavitque, accedente apostolica venia, Religiosarum monasterium, a quibus vota solemnia emittebantur, et Regulæ observantur a S. Alphonso de Liguori conditæ. Sanctimonialia sunt numero viginti, et fervidæ in observantiæ regularis studio. Cœnobium mœnibus altissimis præinctum loco amœnissimum est, neque destitutum commoditatibus, et sufficientibus redditibus, qui imo magis magisque augeri debebant ex accessione dotium, quas puellæ conferre debuissent. Monasterio hortus inhæret satis amplius ac vastus.

His positis, Episcopus, etiam nomine Re-

CLERICUS.

S. CONGREGATIONIS RITUM DECRETA.

(1. Proposito dubio S. R. C. an Clerici sæculares Alumni Collegii Civitatis Pragen. præcedere debeant Regulares ejusdem civitatis; decisum fuit: « Che detti chierici Secolari Alunni, como parte del Clero, devono in tutte le Processioni andar uniti con esso clero, e per conseguenza precedere alli Regulari. » Die 6. Augusti 1590.

(2. Cum Magister Chori Ecclesiæ Lauretanæ sit conjugatus, supplicatum est S. Rituum Congregationi, ut declaret: An liceat eidem intonare, et legere Antiphonas, Capitula, et alias similes functiones facere? Quæ Sac. Congregatio censuit: « Quod si Magister Cappellæ est Clericus, et in habitu Clericali incedit, id facere non prohibetur; sin autem contra, curet Episcopus, ut absteineat. » Die 20. Februarii 1592.

(3. Num in officio Cathedrali Gadicensi, et Clericis ejusdem Choro tantum adscitis concessio, nomine, et privilegio dictorum Clericorum Cathedralis gaudere possint Clerici Curati in eadem Ecclesia curam Animarum

ligiosarum implorabat, ut firma remanente simplicium votorum professione, papalis clausura institueretur.

En autem, quæ in apposito folio legitur: « Questa Sacra Congregazione nell'adunanza generale del 22. prossimo passato Febbrajo ad una simile istanza della Superiora delle Salesiane di Reggio in Calabria rescrisse: » « Firma remanente professione votorum Semplicium, « annuendum esse pro gratia impositionis « clausuræ papalis: » « Talerisolutioe poi fu approvata dalla Santità di N. S. E di fatti egli è certo che i Vescovi possono imporre la clausura vescovile ne' monasteri, ove si emettono i voti semplici, per custodire quelle Sacre Vergini; e per impedire gl'inconvenienti che ne potrebbero nascere dal libero accesso. »

« La Clausura Papale differisce dalla Vescovile in questo, che non è dispensabile dal Vescovo, e per conseguenza non è così connessa coi voti solenni, che non si possa senza i medesimi, prescrivere, essendo stato da S. Pio V. stabilito soltanto, che non vi debbono essere voti solenni senza clausura papale, ma non viceversa; d'altronde la medesima in un modo più efficace provvide alla sicurezza delle Religiose e tende ad una maggiore perfezione. »

« Non può peraltro negarsi che dessa induce un vincolo assai forte, e che comunemente non è in uso nei Monasteri di voti semplici. »

Itaque in plenario auditorio dictæ diei 6. Decemb. 1839. una cum allata Ravennatensi proposita hæc consultatio cum dubio:

Se e come abbia ad annuirsi alle preci di Monsignor Vescovo di Policastro?

Emin. Patres rescribendum censuerunt: « *Affirmative*, ut in Rhegiensi, accedente consensu omnium monialium vocalium per vota secreta »

exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non sunt adscripti: S. R. C. censuit rescribendum: Servetur Decretum S. R. C. die 30. Augusti 1602. nempe, Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quæ in Choro propria dicuntur: die 26. Augusti 1752. Ad 4.

(4. S. R. C. *Affirmative* responderi censuit ad dubium, an simplex Clericus, qui obtinuit Canonicatum in eadem Ecclesia Collegiata, cui adnexus est titulus Thesaurarii, et proinde pro tertia Dignitate in Ecclesia Collegiata S. Petri Drepani Diocesis Mazaviensis habeatur, præcedere debeat tam in Choro, quam in Processionibus aliis Canonicis Presbyteratus Ordine insignitis, et locum suæ Dignitati proprium obtinere ac servare. die 11. Decembris 1773. ad 1.

(5. Ad dubium, utrum, non obstante sex annorum lapsu ante Seminarium Apuani suppressionem, et duorum, vel trium mensium post ejusdem instaurationem, quo Clerici Seminarium in Processionibus Crucem Capituli immediate sequebantur, Parochi uniuscujus-

que Parociæ jus habeant exigendi, ut præfati Seminarium Clerici non amplius Capitularum, sed respectivam Parochorum Crucem sequantur; S. R. C. negative censuit rescribendum. die 8. Martii 1825. Ad 2.

(6. Porrectis per Canonicos Collegiata Ecclesiæ Assumptionis B. M. V. Oppidi Luniani, Diocesis Amerinæ precibus pro declaratione Dubii: An extra casum necessitatis possit permitti a Superioribus, ut Canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo, S. R. C. rescribendum censuit: Negative, et Episcopus curet abscondere consuetudinem tam in Cathedrali, quam in Collegiata: videlicet extra casum absolutæ et præcisæ necessitatis, non posse a Superiore permitti, ut Clericus in minoribus pro subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo, et pro hujusmodi effectu per Episcopum abscondendam esse consuetudinem tam in Cathedrali, ubi Clerico etiam extra casum necessitatis permittitur, se parare pro Subdiacono sine manipulo, quam in Collegiata, in qua induci vellet, ut Canonicus Clericus ministret Subdiacono sine manipulo, existentibus aliis Canonicis Diaconis et Presbyteris, ad quos de jure spectat supplere vices Canonici Clerici in Officio Subdiaconi. die 18. Decembris 1784.

(7. Ad dubium: Utrum tolerari possit, ut in Collegiata, cum in choro adsunt Beneficiati sacerdotes, unus in minoribus constitutus impleat onus suæ hebdomadæ in decantandis tantummodo Horis canonicis, vertendo versum *Dominus vobiscum*, in *Domine, exaudi orationem meam*. S. R. C. rescripsit: *Negative*: die 17. Septembris 1785. Ad 6.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Edictum Episcopi Tudertini diei 2. maii 1806. quoad interventum Clericorum ad nundinas exsequendum esse censuit Sacra Congregatio, nec moderandum, nisi de licentia Episcopi, gratis et singulis semestribus danda. In Tudertina Edicti die 12. Septem. 1807.

(2. Posse Episcopum Clericis prohibere ne cohabitent cum feminis quæ suspensionem non effugiunt, etsi consanguineis; exceptis tamen iis, quæ usque ad secundum gradum conjunctæ sunt juxta SS. Canonum Censuram, S. Congregatio respondit Clero Validensi, qui de hac lege ab Episcopo Nucerinolata conquerebatur. In Nucarina die 20. Decembris 1815. ad 2. Dubium.

(3. Eidemque ægre ferenti Episcopi legem in Synodo Nucarina latam, ut omnes Clerici extra Ecclesiam deferre deberent, excepto itineris casu, talares Vestes (permissio tamen hyberno tempore hyemali pallio cum manicis, et Collari nigri coloris,) responsum dedit posse Episcopum hanc legem proferre arbitrio et prudentia utentem, servata forma Sacri Concilii Tridentini, et Romani. Ibid. ad 3. Dub.

(4. Cum majora requisita, attentata dispositione tum juris tum voluntatis testatris,

concurrerent in Clerico Salvatore Pacetti, quam in Clerico Raymundo Anibaldi, illi censuit Sacra Congregatio dandam esse institutionem ad beneficium sub invocatione SS. Crucifixi in Ecclesia sita extra muros Montis Florum, ideoque non esse concedendam dispensationem super defectu ætatis, et institutionem Clerico Anibaldi. In Firmana Beneficii die 17. Februarii 1821.

(5. Quatuor patrimonia sacra ab Episcopo Montis Politiani piissima liberalitate constituta Sacra Congregatio approbavit juxta ejusdem Episcopi preces, nempe cum conditione a Clericis nominatis, qui et pauperes esse debent, specialiter excepta in actu nominationis, in eadem Diocesi permanendi, nec non illa amittendi, si alibi domicilium statuunt, postquam ab Ordinario moniti ad propriam Diocesim non remeaverint. In Montis Politiani Patrimonii Sacri die 21. Julii 1821.

(6. Cum hisce temporibus impossibile sit invenire qui juxta voluntatem Testatoris cautionem præstet pro Clericis pauperibus in Seminario Ferrariensi alendis, ut quod iis præstatum sit, reddant, si ad sacros Ordines non ascenderit; Sacra Congregatio commutando Testatoris voluntatem, delendam esse censuit cautionem tantum, et statuit, ut arbitrio Archiepiscopi onus aliquod alumnis recedentibus a Statu Ecclesiastico in suffragium ad formam testamenti imponatur, et eidem Archiepiscopo curæ commisit, ne admittantur, nisi habentes requisita Sacri Concilii Tridentini, et cognita mutatione eorum voluntatis, e Seminario dimittat, facto verbo cum SS. In Ferrariensis Commutationis voluntatis die 20. Januarii 1821.

(7. Cum bini patrimonii legatum ab Andrea Montemaggi duobus sæcularibus Clericis relictum qualitatem pii legati laicalis Cappellanæ redoleret, necessariam non fuisse Canonicam institutionem pro conferendis patrimoniis Clerico Matteini ab legitimis patronis nominato, decreverunt EE. PP. salvis tamen juribus Episcopi ad formam Concilii Tridentini pro adimplemento pii Legati. In Ariminensis Nominationis et institutionis die 26. Novem. 1836. ad 2. dub.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. In Sacra Congregatione Concilii diei 20. Septem. 1704. disceptata est hæc causa Trojana cum sequentibus dubiis: « 1. An simplices Sacerdotes nullum habentes beneficium in Cathedrali Trojana, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum teneantur assistere servitio dictæ Ecclesiæ singulis diebus de præcepto. 2. An constet de attentatis? 3. An suspensio a divinis lata contra Sacerdotes simplices substineatur. »

Quibus Emin. PP. rescribere dignati sunt: « Ad primum et secundum affirmative. Ad tertium negative, et ad Dominum Secretarium cum Agente Episcopi juxta mentem. »

Eadem causa iterum proposita fuit in Comitibus ejusdem Sacræ Congregationis diei